AD QVODLIBETARIAM

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXVI. IANVARII

M. CAROLO LE CLERC DOCTORE MEDICO MODERATORE

AN SINE VIRILI SEMINE MOLA?

NATVRA cùm interitum generis humani prouida metueret, qui necessariò principia generationis sequuturus erat (siquidem immortale fieri quod genitum nihil quicquam potest) marem & fœminã creauit (vt quod in indiuiduo seruari non poterat in specie seruaretur) non ἀνδρόγυνον quempiã vno & eodem corpore confusũ,sed corporibus discretis, & organis sibi generandi congruis & aptis : verum τὰ ἀνδρικὰ αἰδοῖα (prout mas calore auctior)foris conspicua fecit, τὰ δὲ γυναικεῖα (talpæ oculorum instar) intus condidit, licet quibusdam inopinatò extrinsecùs proruperint,quę ex fœminis ac virginibus in mares fuerunt demutatę : Ita autem arcta est virilium & muliebrium partium ad generationem necessitudo , vt sine consorte nihil concipi possit.

CVm verò mulier succi plena , vegeta , statis mensium periodis repurgari solita (à non purgatis nulla sperabilis conceptio) corporis vniuersi, tùm partium potissimè genitalium naturali conformatione bene habitâ , agricolam telluris instar suapte natura fertilis vel potius vtericolam idoneum nacta est ætate,habitu , temperamento pari sibi respondentem , maritali copula , & amore mutuo coniunctum haud dubiè prolem susceptam quotannis , aut iustis temporum interuallis pariet atque sufficiet vtrîque parenti aut saltem alterutri , auis , abauisque similem : Si autem causarum ordo peruertâtur,aut vis, aut qualitas, aut vaga & oberrans imaginatio allucinetur,môstrôsos edi partus contingit , vt pote alios bicipites , alios monopodes , apodesue , alios ἀτρήτους, καὶ ἀπράκτους : imò sæpiùs sterilitas inducitur , & pro lecta lætaque prole saniem putrem , aut purulentam proluuiem , rudemque ac indigestam molam in vtero reponit atque deponit ; quæ autem præter naturam tenues vtero gerunt , abortiunt priusquam pinguescant : sic quæ præter naturam crassæ, non concipiunt priùsquam extenuentur ; neque est quòd obesi se ad generationem aptos esse gestiant, sicut nec graciles non multò aptiores:multò minùs gonorrhæâ laborantes, quos vt statim purgare periculosum,sic salutare ijs sanguinem non modò è saphęna,verum & e brachio detrahere.

VTerus sationis humanæ campus feracissimus,excipiendo virili semini ad hominis propagationem comparatus , inter vesicam & rectum intestinum constituitur , cuius varia est magnitudo ab ætate , temperie , veneris vsu , muliebri profluuio , corporis proceritate,& fœtura: is pyro maiusculo similis visitur , membraneus,duabus constans tunicis , quarum interior triplici uillorum genere est intertexta , duabus venis , quas totidem comitantur arteriæ , & duobus neruulis: ex quibus similaribus,partes hæ dissimilares exurgunt ipsum totum constituentes,fundum videlicet , ceruix , & duplex orificium ; vt autem cæteris animalis partibus ; sic vtero præcipuè facultas inest seminis attractrix,quod quidem duplex est,duplici meatu,virile videlicet τὸ πρῶτον ἔχον ἀρχὴν φύσεως per αὐχένα ; muliebre vero per cornua ad vteri quãdoque obuiã occurrentis fundũ cõpellitur.Est autem semen(quo nullus humor præstantior)corpus hùmidũ,spumosum,albũ,ex reliquijs alimenti vltimi (licet non modò excrementũ sit,sed etiã alimentũ) & spirituũ vbique oberrantiũ permixtione vi & energiâ vasorum,ac testium maxime excoctum elaboratumque ad perfectam animalis in vtero eucrato generationẽ.

SAnguis menstruus (cuius suppressi minora sunt quam seminis symptomata) alterum nostræ generationis principium , non nisi post absolutam partium spermaticarum delineationem affluit , semen enim ab omnibus corporis partibus deciduum , idque inanimatum , principium est á quo fit conformatio , & ex quo spermaticæ partes generantur,vt à sanguine,carnosæ:cuius duplex est finis,parenchymatum scilicet & carnium generatio, nec non puelli in vtero & extra vterum nutritio : Is autem si copiosius affluat mirabiles seminis virilis effectus interturbat , formationem enim ab ipso inchoatam & præ imbecillitate quidem imperfectam obruit,atque continua inundatione præfocat , sicque semen fine suo cadens animalis loco (naturę enim quę in perpetua indiuidui successione continuatur longè satius est creare aliquid etiam imperfectum quàm nihil)molam velut inanem & euanidum fœtum,molem informem,nunquam animæ vitęque participem,soli vtero muliebri eiusque cornibus propriã, non vt in gallina ὑπηνέμιον ᾠὸν fit,generat:nulla enim mulier virum inexperta molam ex se,& intra se vnquam procreauit,licet ad generationem eius semen conferat.

NOn omnis vteri tumor est mola , sed tantum σὰρξ ἄρχη καὶ ἀδιάπλαστος (impropriè enim aquosam & flatuosam molas dixeris) morbus in compositione & numero toto genere prçter naturam vt lapis in vesica , hypochyma , & myrmecia, ijs signis dignoscendus partium superiorum contractione , corporis macie, inappetentiâ , coloris fœditate , mensium suppressione , mammarum tumore , stomachi subuersione , lumborum grauitate , ventris denique protuberantiâ , vt in vero conceptu , a quo in principio vix discernitur : aliquando duos , tres , aut quatuor annos gestatur , aliquando toto vitę spatio ita vt commoriatur ; sępe etiam foras propellitur, primis mẽsibus mouetur ad motum gestantis(non vt fœtus qui calcitrat & circumuoluitur mas scilicet trimestris , fœmina quadrimestris) vixque curatur nisi recens , ac plures facilius quam vna.

ERGO NON SINE VIRILI SEMINE MOLA.

Proponebat FRANCISCVS QVIQVEBEVF Parisinus Anno R.S. M. DCXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Michaël Seguin.
M. Petrus le Conte.
M. Ægidius le Blanc.
M. Guillelmus de Vailly.
M. Ioannes Maunoir.
M. Claudius Geruais.
M. Carolus Bouuart.
M. Claudius Charles Professor Regius.
M. Quirinus le Vignon.